Ex ms. Bibl: Zalus: No 244.

Sigismundus Augustus Rex Pol.ae
Capitaneo Novæ Civitatis Korczyn

50

Exposuit nobis Vnblis Martinus Crume:rus Vtriusq Iuris Doctor Crac: Varmien. et Kelcen Canonicus, Secretarius noster, et Vnblis Vicarij generalis in spiritualibus Rndi in Chro patris Dni Epi Cracovien moderni authentico testimonio comprobavit, quod Generosus Nicolaus Olesnitzki hæres in Pinczow, ac Droszdzeovice partim ob raptum, partim ob non solutionem decimarum suarum de villis Podlesse, Brzesciæ et Szczepietz ad Canonicatum suum Kelcen pertinentium, et de Drozdzeovice de mensa Episcopali in gratiam sibi concessarum, censuras Ecclesiasticas ultra annum, et sex septimanas animo sustinet indurato, non sine periculo animæ suæ, et gravi scandalo plurimorum. Ac propterea idem Vnblis Martinus Cromerus brachiu nostrum regale imploravit. Quo circa fidel: tuæ, ad quem in tali casu executio brachij nostri regalis secundum statuta regni pertinet, severe mandamus, omnino habere volentes, ut viso hoc mandato nro et significatoria supra dicti Vicarij, sine ulteriori disquisitione censurarum ad executionem supra memorati statuti contra insordescentes promulgati adversus eundem Nicolaum Olesnitzki procedat, et sine omni dilatione, atq deliberatione

Nowakowski

deliberatione, nulli exceptioni, appellatio:
ni, aut motioni locum dando, bona ejus,
sive hæreditaria, sive tenutaria, sive obli:
gata, quovis modo in administrationem
suam secundum præscriptum statuti
ex officio suo accipiat, ac tamdiu tene:
at, ac possideat omnes et singulos proven:
tus, atq; utilitates inde percipiendo, do:
nec ipsi Martino Cromero pro decimis
supramemoratis, damnis injurijs, et ex:
pensis eo nomine factis penitus ac in
toto satisfactum erit, et ipse Nicolaus
Olesnitzki legitimè ab ijsdem censuris
absolutus fuerit. Quod si forte idem Ni:
colaus Olesnitzki possessionem bonorum
suorum fidel: tuæ concedere nolet, tunc
fidel: tua ulterius contra eum secun:
dum statuta regni procedat. Quæ omnia
præstabit fidel: tua diligenter pro debi:
to suo et gratia nostra, et sub pœnis
contra negligentes capitaneos in sta:
tutis contentis. Datum Cracoviæ.

Daie pomoc woyskową, dla wypełnienia censury kościelney
na Mik. Oleśnickiego włożoney, z powodu nie zapłaconey dzie
sięciny Mar. Kromerowi należącey.